



**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

T. Nullo numero Deus, nullo Virgo exprimitur. Ille infinitus, hæc quasi infinita. Centum linguis Poëta, mille Theologus loquitur, nec adhuc Deum, aut Virginem exprimit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

uit, ne laudem imminueret. Sic igitur contraxit
versuum numerum, ut Dotium augetet. Quid?
suum ingenium Virginis elogio postposuit; ut fi-
niti versus, infinitæ laudes essent; gloria magis
Virginis, quàm carminis quæreretur. Mille vi-
ginti duæ in cælo stellæ sunt: his angustiis clau-
sa est varietas, ut carmen miraculum esset. Sed
ô Deus, ô Virgo! mille & millia, & millena
millia angustia sunt, si cum infinito Virginis
contendantur. Finitum est, si in versu versus
numeres.

THAUMATA.

*Nulla numero Deus, nullo Virgo exprimitur. Ille in-
finitus, hac quasi infinita. Centum linguis Poëta,
mille Theologus loquitur, nec adhuc Deum, aut
Virginem exprimit.*

MIROR, nec miror.

*M*atibus hic mos est, centum sibi postulare voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina
centum.

Sed quid nisi ut magno impetu, maiori voto fun-
dantur versus, & minores argumento euadant?
Furere eundem furorem Pietas potuit, diuinum
furorem. Etenim nisi centum ora, & centum
voces, & centum linguas Poëta Theologus ha-
beat, infans, imò mutus est. Adsint boni piique
omnes,

omnes, socient animos, coniungant voces: cùm
 fenserint omnia, reliquisse plura; cùm dixerint
 omnia, tacuisse plura videantur. Quippe Numen
 infinitum est; nullâ cogitatione bonitas eius, nul-
 lo sermone comprehendi magnitudo potest. Pro-
 xima Numini Virgo est, quæ Numen peperit,
 quæ Deum terris dedit. Cùm Virginem lauda-
 mus, iam feliciori encomio ad Deum assurgimus.
 Quia Deum cepit, quia Hominem esse ostendit;
 ostendit, quò assurgere encomium humanum
 queat. Da centum ora Virgo, da centum lin-
 guas, iam non omnino infans ero: te loqui, & sic
 Deum incipiam, qui vt Homo esset, infans, &
 puerulus fuit, & humanæ naturæ angustias ad-
 misit. Vt multa quoque dicam, imò vt designem
 Deum, mutus ero. Ille enim, *tamquam ovis ad*
occisionem ductus est, & sicut agnus innocens coram
tondente se obmutescit, sic non aperuit os suum. Lau-
 dare Deum, siue dicere, hoc est imitari. Quid
 tu ais, mi BERNARDE? quid tu agis, mi BAV-
 HVSI? files ipse, & centum ora, centum linguas
 possides. Siles ipse, & mille ora, mille linguas
 possides. Mille? & amplius: quot

Toto sparsa micant stellarum lumina celo.

Vt Deum laudares, versum concinnasti Virgini,
 quo maiorem aut ingeniosorem adhuc non vidi.
 Sic tamen laudando confessus es, ne Virginem
 quidem ore aut linguâ humanâ satis laudari pos-

O se.

se. Proteus ille tuus mille viginti duo ora, totidemque linguas habet, & adhuc elinguis est: sideribus cæli Dotes Virginis comparatæ sunt, & ad exiguum veniunt. Tot sint cæli, quot stellæ, & ordiri encomium poteris: tot sint Protei, quot versus, & loqui incipies. Quid nunc dicam igitur? Voluisti laudare Virginem; hoc est laudare.

T H A V M A Y.

CHRISTVS Sol, MARIA Luna. Virginis Proteum satis non fuisse, nisi & Filij accederet. Vtriusque consideratio. Nova numerorum mysteria, & miracula.

CAELVM in terram descendere, & è Lunâ nasci Solem! Quia Deus ad homines venit, venisse cælum arbitror: quia Sol CHRISTVS est, Lunam MARIAM esse. Sol CHRISTVS, & cælum illustrat: Luna MARIA, & cælo illustratur. Sol communionem naturæ noster est, & diem facit: Luna nostra, & noctem tollit. Cæli beneficio Diuinitatis miraculum designatur. Noctem cælum nullam habet; dies in terris nocte distinguitur. Ita est, caliginem suam vita humana habet: diuina, pleno & perpetuo iubare donata est. Satis igitur Pietati non fuit, inuenire Proteum, qui Lunæ pulchritudinem, stellarum omnium vultu indicaret: inuenit, quæ ad infinitum accederet, & innu-